

» hujusmodi non partitionis eventum, iteratis vicibus aggravavimus)  
» paternis monitis et salutaribus jussis obsequi, prout debebant,  
» indebite recusantes, seu qui juri proprio diffidunt et superioris  
» mandata contumaciter obaudiunt, ut quae minus juste usurpa-  
» runt, indebite etiam cum animarum suarum detrimento retineant;  
» ad prohibitum atque damnatum remedium confugientes, a re-  
» quisitione, monitione et mandato ac sententiis, censuris et poenis  
» praedictis, nulla constitutionis Pii praedecessoris hoc expresse  
» vetantis, habita ratione, ad futurum consilium temere ( ut acce-  
» pimus ) provocarunt : prout etiam perditionis filii quondam  
» Joannes Bentivolus et ejus nati, cum eos a tyrannica oppressione  
» dilectae civitatis nostrae Bononiae expellere decrevissemus, da-  
» mnabiliter fecisse dicuntur, videlicet ad futurum concilium prae-  
» dictum appellasse et provocasse. Nos igitur quam detestanda sit  
» eorum perversitas attendentes, qui propriis innixi commodis et  
» nefariis cupiditatibus mancipati, salubria decreta patrum et su-  
» periorum jussa spernentes, inconsutilem Christi tunicam scin-  
» dere, aut etiam scissionis causam praebere contendunt, et Ec-  
» clesiae unitatem dividere, praedictae sanctae sedis apostolicae  
» principatum tollere et contra tot sanctorum patrum et sacrorum  
» conciliorum decreta, temere et damnabiliter magna audacia ve-  
» nire non erubescunt, et contrafacere non verentur ; asserentes  
» inter cetera, consulentes, persuadentes, determinantes, seu deter-  
» minationi hujusmodi interessentes, sola consilii praestatione seu  
» persuasione, deliberatione aut determinatione, quod aliquibus  
» casibus a Romano pontifice, seu ejus sententia, vel decreto, ad  
» futurum concilium generale appellari possit, dicta Pii praede-  
» cessoris constitutione non ligari, nisi in ipsa actuali appellatione  
» et illius interpositione vel scripturae compositione se immi-  
» scuerint ; Ne de cetero tali assertione se excusare ac tale quid  
» in posterum praesumere impune valeant, opportunam tam im-  
» mani et periculoso morbo medelam adhibere volentes ; hae ge-  
» nerali et in perpetuam valitura constitutione, ex certa nostra